Hermann, (J.) G. (J.)

DE

ITERATIS APVD HOMERVM

DISSERTATIO

SCRIPTA CREATIONI

XXXVI PHILOS. DOCT. ET AA. LL. MAG.

RECTORE MAGNIFICO

IOANNE CHRIST. AVGVSTO CLARO

POTENTISS. REG. SAXON. A CONSIL. AVL. ET REG. MEDICIN. ORD. SAXON. VIRT. CIV. ET ROSSICI A ST. WOLODOM. COGNOM. EQVITI PHILOS. MED. ET CHIRVRG. DOCT. CLINIC. IN LITER. VNIVERS. LIPS. P. P. O. FACVLT. MED. LIPS. ASSESS. INSTIT. CLIN. REG. MEDIC. PRIM. ACADEMIAR. ET SOCIETT. ERVD. COMPLVR. SOCIO VRBIS LIPS. CIV. HONOR. ETC. ETC.

PROCANCELLARIO

GVSTAVO THEODORO FECHNERO

MEDIC. BACCAL. ET PHYSICES PROFESSORE PVBL. ORD.

DECANO

MAVRITIO GVILIELMO DROBISCHIO

MATHESEOS PROFESSORE PVBL. ORD.

(Johann) Gottfried (Jacob)

GODOFREDO HERMANNO

THEOL. ET PHILOS. D. ELOQ. ET POET. P. P. O. PRAEFECTO EQVITVM ORD. SAX. VIRT. CIV. VNIV. ET ORD. PHILOS. SENIORE. COLLEG. MIN. PRINC. SOD. REG. SEMINARII PHILOL. DIRECTORE. SOC. GR. PRAESIDE. SOCC. ARCH. ROM. REGG. BAVAR. MONAC. BEROL. NANT. LAT. IEN. HISTOR. THEOL. ET OECON. LIPS. SODALI. INSTIT. REG. BELG. SOCIO EXTR. INSTIT. FRANC. ACAD. REG. INSCR. ET BON. LITT. SOCIO EPIST. ACAD. IMPER. PETROPOL. SOCIETT. SCIENT. NORVEG. ET GERM. LIPS. SOCIO HON.

D. V. MARTII A. MDCCCXL.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

DE

ITERATIS APVD HOMERVM

DISSERTATIO

SCRIPTA CREATIONI

XXXVI PHILOS. DOCT. ET AA. LL. MAG.

RECTORE MAGNIFICO

IOANNE CHRIST. AVGVSTO CLARO

[illegible]

PROCANCELLARIO

GVSTAVO THEODORO FECHNERO

[illegible]

DECANO

MAVRITIO GVILELMO DROBISCHO

[illegible]

A

GODOFREDO HERMANNO

[illegible]

D. V. MARTII A. MDCCCXL

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Non multum ad dirimendam litem, quae inter doctos de compositione carminum Homericorum est, conferre mihi videntur, qui scribendi artem, sine qua istiusmodi poemata condi potuisse negant, vel remotissimae antiquitati vindicare student. Nam ignotum illis poetis fuisse usum litterarum non modo silentium eorum de scriptura testatur, siquidem quae Proeti tristia signa in Iliade memorantur non dubium videtur quin aut non fuerint litterae, aut, si fuerunt, quae vis et ratio earum esset, latuerit poetam, verum etiam clamat tota antiquae poesis epicae natura indiciis apertissimis. Nam et conformatio coniunctioque sententiarum, et orationis ad numeros accommodatio, et vocabulorum ornantium adiectio, et praedicatorum rebus commemoratis additorum positura, evidentissime eo conspirant, ut non ad legendum, sed ad audiendum facta esse carmina illa appareat. Etenim quae solis auribus percepta delectare volumus, ea, quoniam vox, simulatque audita est, irrevocabilis abiit, ante omnia oportet plana et perspicua esse, ut sequi recitantem commode possint audientes, nec moretur eos aliquid, avertatque attentionem a proxime succedentibus: sic enim fatigaret magis auditio mentes quam afficeret voluptate. Hinc omnis oratio maxima simplicitate ex brevibus membris contexta est, quae neque inter se implicata sunt, nec longos verborum connexus efficiunt, sed alia aliis deinceps adiuncta singula per se constant, ita ut, si quando interpositis alienis suspensa maneat sententia, nunc ab novo initio quae reliqua erant adiiciantur, nunc ipsa vocis temperatione quae intermedia sunt distinguantur a ceteris: cuiusmodi exemplum est in Iliad. XIII. 674—680. Deinde quae narrantur ita solent describi, ut semper ex praegressis aliqua pars repetatur: quo fit ut et ea quae iam audita sunt facilius retineantur firmiusque imprimantur animis, et laxius atque remissius fluat oratio, quam si novis semper constipatis attentionem difficilem et molestam redderet. Ad eamdem

consuetudinem pertinet quem grammatici vocant τρόπος ἐτυμολογικός, quum quod uno vocabulo dictum est pluribus explicatur, ut

κύνας κηρεσσιφορήτους,
οὓς Κῆρες φορέουσι μελαινάων ἐπὶ νηῶν·
δώδεκα δ' ἵππους,
πηγούς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.

Mirifice porro et recitanti poetae memoriam et audientibus facilitatem perceptionis adiuvat summa illa orationis cum numeris versuum conspiratio, cuius haec virtus est, ut, quum fere singulis versibus versuumque partibus singulae sententiae absolvantur, ipsi numeri terminos constituant, quos intra conclusae esse debeant sententiae. Itaque etiam qui loquentes introducuntur, integro versu et incipiunt verba facere et perorant: idque factum est eo quoque loco, quo solo ex obliqua oratione in rectam transitur, Iliad. IV. 303. Eodem referendae sunt alloquendi formulae integrum versum explentes, ut

Ἀτρείδη κύδιστε, ἄναξ ἀνδρῶν, Ἀγάμεμνον.

Omninoque plurimum conferunt ad hanc orationis cum numeris convenientiam vocabula ornatui destinata, quibus quum veluti vacua in sententiis spatia impleantur, non solum opportunitas praebetur membra orationis usque ad finem versus producendi, sed etiam, quod ita stabilia sunt ista vocabula, ut cognominum instar sint, ornant illa quidem orationem, sed, quoniam saepe nihil faciunt ad ea quae quoque loco narrantur, non exposcunt sibi diligentiam singularem audientium. Denique etiam quae sic in describendis ornandisque rebus adiiciuntur, ut adverti animum postulent, quum positu suo in initiis versuum separentur a praegressis, simul et dispescunt orationem in membra numeris accommodata, et faciunt ut omnia per partes descripta clarius patescant: ut,

κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε,
καλάς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Qualia qui sic scripta dederunt, ut nullam in fine prioris versus interpunctionem ponerent, non perspectam habuerunt artem poesis epicae. Id quum sermonis ratio ostendat, quae, si non interpungeretur, praeposito adiectivo καλὰς κνημῖδας dici postularet, tum apertius alia exempla declarant, ut Iliad. XI. 3.

Ζεὺς δ' Ἔριδα προΐαλλε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν,
ἀργαλέην, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν.

Non posita enim interpunctione aliquam de pluribus gravem Eridem misisse videretur Iuppiter, qui dicendus erat hanc quae una est Eridem misisse, gravem illam, belli signum in manibus gestantem. Itaque etiam Iliad. XII. 489. distinguendum erat:

Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἷλε Δόρυκλον,
Πριαμίδην, νόθον υἱόν.

Et sic aliis non paucis in locis. Haec omnia ut soli auditioni factam esse illam poësin produnt, sic etiam ostendunt quam facile fuerit istiusmodi carmina ex tempore fundere: ex quo apparet ne opus quidem fuisse litteris, ut conderentur carmina, quae et memoria retineri facillime a poeta possent, et, si quid excidisset, paratam haberent ad supplendum materiam amplissimam. Id longe aliter se habet apud eos poetas, qui carmina sua scripto consignarunt, nisi si qui artem illam Homeri diligenter sunt imitati: id quod felicissime cessit Quinto Smyrnaeo. Verissime enim Caesar de B. G. VI. 14. ubi Druidum discipulos magnum numerum versuum ediscere iussos narrat, ut ne litteris confisi minus memoriae studerent, fere plerisque accidere dicit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.

Consequens fuit illius quam exposui rationis, ut veteres illi poetae saepenumero in eadem re eadem verba eosdemque versus iterarent, quod vitatum est ab illis, qui scripto carmina sua expoliverunt. Sed iterationum in Homericis carminibus tanta et multitudo et varietas est, ut non de omnibus idem statuendum videatur. Nam quum et natura sua differant inter se nec caussas habeant easdem, aliae earum necessariae sunt, aliae supervacaneae; aliae certae, aliae incertae; aliae placent, aliae displicent; aliis nihil offendimur, aliae ne ferendae quidem videntur. Quam iterationum dissimilitudinem qui consideret, facile credo talem esse reperiet, ut et ipsa aliquid conferat ad convellendam opinionem eorum, qui temere discerpi carmina Homeri queruntur. Volo huius rei rationem paucis adumbrare: non enim de exhaurienda cogitare poterit, nisi qui se speret omnem carminum illorum compositionem ita in suas partes resoluturum, ut quid cuique parti tribuendum sit satis probabiliter definiatur.

Ac primo quae per ipsum rerum narrandarum ordinem saepius redeunt, per se patet rectius iisdem quam aliis verbis dici. Molesta enim esset variatio, exilemque magis diligentiam poetae, quam occupatum gravioribus animum proderet. Itaque nemo non probabit, si talia iterantur, quale hoc est:

δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.

Pertinent ad hoc genus etiam comparationes eiusmodi, quae quod cuivis facile in mentem veniant, propemodum pro usitatis formulis habentur, ut *ὥςτε νόημα* de celeritate dictum, vel de praecipitato *ἀρνευτῆρι ἐοικώς.*

Diversum ab his genus est, quo mandata iisdem verbis, quibus accepta sunt, perferuntur: quod ut antiquae simplicitatis est, ita eo quoque commendatur, quod alioqui parum fidus esse nuntius videretur. Simile est, quod Telemachus Od. II. 215. seqq. iisdem verbis quid facturus sit dicit, quibus I. 281 seqq. eum monuerat Minerva, quodque idem IV. 322. Menelaum iisdem verbis orat, quibus usus erat apud Nestorem III. 92. aut quum de Alcinoo lacrimare Ulixem vidente eadem verba usurpantur VIII. 93. 532. aut quum de coorta tempestate eadem dicit Ulixes XII. 403. XIV. 301. Nimium vero esse arbitror, quod quinque versus ter positi sunt Iliad. II. 10. 28. 68. quibus etsi non offensum video C. Lachmannum, cuius viri iudicio plurimum tribuo, tamen videor mihi in ea re duorum carminum vestigia deprehendere.

Similis aliarum iterationum ratio est. Nam quod multis in locis antiqui interpretes adnotarunt, versus aliquos ex aliis locis illatos esse, id etiam latius patet. Vix enim dubitari potest, quin quaedam horum exemplorum ab iis profecta sint, qui diversa carmina in unum coniungentes haec duo quae nunc habemus magna poemata condiderunt. Eo sat certis indiciis refero, quae Iliad. XI. 658 seqq. XVI. 23 sqq. item quae XI. 794 seqq. XVI. 36 seqq. leguntur.

Quemadmodum, ut supra dictum est, in rebus vulgaribus, quarum saepius memorandarum usus venit, eadem verba usurpari consentaneum est, sic idem cadit etiam in ea, quae praecipuam quamdam gravitatem et singulare pondus habent. Sed id eiusmodi est, ut in epico carmine vix alibi locum inveniat, quam quum aliquid solito maius ac difficilius dicendum est: ut quum Homerus Il. II. 484. XI. 218. XIV. 508. XVI. 112. dixit:

ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

130 Hermann, (J.) G. (J.)

DE

ITERATIS APVD HOMERVM

DISSERTATIO

SCRIPTA CREATIONI

XXXVI PHILOS. DOCT. ET AA. LL. MAG.

RECTORE MAGNIFICO

IOANNE CHRIST. AVGVSTO CLARO

POTENTISS. REG. SAXON. A CONSIL. AVL. ET RER. MEDICIN. ORD. SAXON. VIRT. CIV. ET ROSSICI A ST. WOLODOM. COGNOM. EQVITI PHILOS. MED. ET CHIRVRG. DOCT. CLINIC. IN LITER. VNIVERS. LIPS. P. P. O. FACVLT. MED. LIPS. ASSESS. INSTIT. CLIN. REG. MEDIC. PRIM. ACADEMIAE ET SOCIETT. ERVD. COMPLVR. SOCIO VRBIS LIPS. CIV. HONOR. ETC. ETC.

PROCANCELLARIO

GVSTAVO THEODORO FECHNERO

MEDIC. BACCAL. ET PHYSICES PROFESSORE PVBL. ORD.

DECANO

MAVRITIO GVILIELMO DROBISCHIO

MATHESEOS PROFESSORE PVBL. ORD.

(Johann) Gottfried (Jacob)

GODOFREDO HERMANNO

THEOL. ET PHILOS. D. ELOQ. ET POET. P. P. O. PRAEFECTO EQVITVM ORD. SAX. VIRT. CIV. VXIV. ET ORD. PHILOS. SENIORE. COLLEG. MIN. PRINC. SOD. REG. SEMINARII PHILOL. DIRECTORE. SOC. GR. PRAESIDE. SOCC. ARCH. ROM. REGG. BAVAR. MONAC. BEROL. NAST. LAT. IEN. HISTOR. THEOL. ET OECON. LIPS. SODALI. INSTIT. REG. BELG. SOCIO EXTR. INSTIT. FRANC. ACAD. REG. INSCR. ET BON. LITT. SOCIO EPIST. ACAD. IMPER. PETROPOL. SOCIETT. SCIENT. NORVEG. ET GERM. LIPS. SOCIO HON.

D. V. MARTII A. MDCCCXL.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

(18)

DE

ITERATIS APVD HOMERVM

DISSERTATIO

SCRIPTA CREATIONI

XXXVI PHILOS. DOCT. ET AA. LL. MAG.

RECTORE MAGNIFICO

IOANNE CHRIST... AVGVSTO CLARO

[illegible]

1868, Sept. 12

Gift of

President Felton's Family

PROCANCELLARIO

GVSTAVO THEODORO FECHNERO

[illegible] PHYSICES PROFESSORE PVBL. ORD.

DECANO

MAVRITIO GVILIELMO DROBISCHO

MATHESEOS PROFESSORE PVBL. ORD.

A

GODOFREDO HERMANNO

[illegible]

D. V. MARTII A. [illegible]

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. [illegible]

Non multum ad dirimendam litem, quae inter doctos de compositione carminum Homericorum est, conferre mihi videntur, qui scribendi artem, sine qua istiusmodi poemata condi potuisse negant, vel remotissimae antiquitati vindicare student. Nam ignotum illis poetis fuisse usum litterarum non modo silentium eorum de scriptura testatur, siquidem quae Proeti tristia signa in Iliade memorantur non dubium videtur quin aut non fuerint litterae, aut, si fuerunt, quae vis et ratio earum esset, latuerit poetam, verum etiam clamat tota antiquae poesis epicae natura indiciis apertissimis. Nam et conformatio coniunctioque sententiarum, et orationis ad numeros accommodatio, et vocabulorum ornantium adiectio, et praedicatorum rebus commemoratis additorum positura, evidentissime eo conspirant, ut non ad legendum, sed ad audiendum facta esse carmina illa appareat. Etenim quae solis auribus percepta delectare volumus, ea, quoniam vox, simulatque audita est, irrevocabilis abiit, ante omnia oportet plana et perspicua esse, ut sequi recitantem commode possint audientes, nec moretur eos aliquid, avertatque attentionem a proxime succedentibus: sic enim fatigaret magis auditio mentes quam afficeret voluptate. Hinc omnis oratio maxima simplicitate ex brevibus membris contexta est, quae neque inter se implicata sunt, nec longos verborum connexus efficiunt, sed alia aliis deinceps adiuncta singula per se constant, ita ut, si quando interpositis alienis suspensa maneat sententia, nunc ab novo initio quae reliqua erant adiiciantur, nunc ipsa vocis temperatione quae intermedia sunt distinguantur a ceteris: cuiusmodi exemplum est in Iliad. XIII. 674—680. Deinde quae narrantur ita solent describi, ut semper ex praegressis aliqua pars repetatur: quo fit ut et ea quae iam audita sunt facilius retineantur firmiusque imprimantur animis, et laxius atque remissius fluat oratio, quam si novis semper constipatis attentionem difficilem et molestam redderet. Ad eamdem

consuetudinem pertinet quem grammatici vocant τρόπος ἐτυμολογικός, quum quod uno vocabulo dictum est pluribus explicatur, ut

κύνας κηρεσσιφορήτους,
οὓς Κῆρες φορέουσι μελαινάων ἐπὶ νηῶν·
δώδεκα δ' ἵππους,
πηγούς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.

Mirifice porro et recitanti poetae memoriam et audientibus facilitatem perceptionis adiuvat summa illa orationis cum numeris versuum conspiratio, cuius haec virtus est, ut, quum fere singulis versibus versuumque partibus singulae sententiae absolvantur, ipsi numeri terminos constituant, quos intra conclusae esse debeant sententiae. Itaque etiam qui loquentes introducuntur, integro versu et incipiunt verba facere et perorant: idque factum est eo quoque loco, quo solo ex obliqua oratione in rectam transitur, Iliad. IV. 303. Eodem referendae sunt alloquendi formulae integrum versum explentes, ut

Ἀτρείδη κύδιστε, ἄναξ ἀνδρῶν, Ἀγάμεμνον.

Omninoque plurimum conferunt ad hanc orationis cum numeris convenientiam vocabula ornatui destinata, quibus quum veluti vacua in sententiis spatia impleantur, non solum opportunitas praebetur membra orationis usque ad finem versus producendi, sed etiam, quod ita stabilia sunt ista vocabula, ut cognominum instar sint, ornant illa quidem orationem, sed, quoniam saepe nihil faciunt ad ea quae quoque loco narrantur, non exposcunt sibi diligentiam singularem audientium. Denique etiam quae sic in describendis ornandisque rebus adiiciuntur, ut adverti animum postulent, quum positu suo in initiis versuum separentur a praegressis, simul et dispescunt orationem in membra numeris accommodata, et faciunt ut omnia per partes descripta clarius patescant: ut,

κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε,
καλάς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Qualia qui sic scripta dederunt, ut nullam in fine prioris versus interpunctionem ponerent, non perspectam habuerunt artem poesis epicae. Id quum sermonis ratio ostendat, quae, si non interpungeretur, praeposito adiectivo καλὰς κνημῖδας dici postularet, tum apertius alia exempla declarant, ut Iliad. XI. 3.

Ζεὺς δ' Ἔριδα προΐαλλε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν,
ἀργαλέην, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν.

Non posita enim interpunctione aliquam de pluribus gravem Eridem misisse videretur Iuppiter, qui dicendus erat hanc quae una est Eridem misisse, gravem illam, belli signum in manibus gestantem. Itaque etiam Iliad. XII. 489. distinguendum erat:

Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἷλε Δόρυκλον,
Πριαμίδην, νόθον υἱόν.

Et sic aliis non paucis in locis. Haec omnia ut soli auditioni factam esse illam poësin produnt, sic etiam ostendunt quam facile fuerit istiusmodi carmina ex tempore fundere: ex quo apparet ne opus quidem fuisse litteris, ut conderentur carmina, quae et memoria retineri facillime a poeta possent, et, si quid excidisset, paratam haberent ad supplendum materiam amplissimam. Id longe aliter se habet apud eos poetas, qui carmina sua scripto consignarunt, nisi si qui artem illam Homeri diligenter sunt imitati: id quod felicissime cessit Quinto Smyrnaeo. Verissime enim Caesar de B. G. VI. 14. ubi Druidum discipulos magnum numerum versuum ediscere iussos narrat, ut ne litteris confisi minus memoriae studerent, fere plerisque accidere dicit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.

Consequens fuit illius quam exposui rationis, ut veteres illi poetae saepenumero in eadem re eadem verba eosdemque versus iterarent, quod vitatum est ab illis, qui scripto carmina sua expoliverunt. Sed iterationum in Homericis carminibus tanta et multitudo et varietas est, ut non de omnibus idem statuendum videatur. Nam quum et natura sua differant inter se nec caussas habeant easdem, aliae earum necessariae sunt, aliae supervacaneae; aliae certae, aliae incertae; aliae placent, aliae displicent; aliis nihil offendimur, aliae ne ferendae quidem videntur. Quam iterationum dissimilitudinem qui consideret, facile credo talem esse reperiet, ut et ipsa aliquid conferat ad convellendam opinionem eorum, qui temere discerpi carmina Homeri queruntur. Volo huius rei rationem paucis adumbrare: non enim de exhaurienda cogitare poterit, nisi qui se speret omnem carminum illorum compositionem ita in suas partes resoluturum, ut quid cuique parti tribuendum sit satis probabiliter definiatur.

Ac primo quae per ipsum rerum narrandarum ordinem saepius redeunt, per se patet rectius iisdem quam aliis verbis dici. Molesta enim esset variatio, exilemque magis diligentiam poetae, quam occupatum gravioribus animum proderet. Itaque nemo non probabit, si talia iterantur, quale hoc est:

δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ.

Pertinent ad hoc genus etiam comparationes eiusmodi, quae quod cuivis facile in mentem veniant, propemodum pro usitatis formulis habentur, ut *ὥςτε νόημα* de celeritate dictum, vel de praecipitato *ἀρνευτῆρι ἐοικώς*.

Diversum ab his genus est, quo mandata iisdem verbis, quibus accepta sunt, perferuntur: quod ut antiquae simplicitatis est, ita eo quoque commendatur, quod alioqui parum fidus esse nuntius videretur. Simile est, quod Telemachus Od. II. 215. seqq. iisdem verbis quid facturus sit dicit, quibus I. 281 seqq. eum monuerat Minerva, quodque idem IV. 322. Menelaum iisdem verbis orat, quibus usus erat apud Nestorem III. 92. aut quum de Alcinoo lacrimare Ulixem vidente eadem verba usurpantur VIII. 93. 532. aut quum de coorta tempestate eadem dicit Ulixes XII. 403. XIV. 301. Nimium vero esse arbitror, quod quinque versus ter positi sunt Iliad. II. 10. 28. 68. quibus etsi non offensum video C. Lachmannum, cuius viri iudicio plurimum tribuo, tamen videor mihi in ea re duorum carminum vestigia deprehendere.

Similis aliarum iterationum ratio est. Nam quod multis in locis antiqui interpretes adnotarunt, versus aliquos ex aliis locis illatos esse, id etiam latius patet. Vix enim dubitari potest, quin quaedam horum exemplorum ab iis profecta sint, qui diversa carmina in unum coniungentes haec duo quae nunc habemus magna poemata condiderunt. Eo sat certis indiciis refero, quae Iliad. XI. 658 seqq. XVI. 23 sqq. item quae XI. 794 seqq. XVI. 36 seqq. leguntur.

Quemadmodum, ut supra dictum est, in rebus vulgaribus, quarum saepius memorandarum usus venit, eadem verba usurpari consentaneum est, sic idem cadit etiam in ea, quae praecipuam quamdam gravitatem et singulare pondus habent. Sed id eiusmodi est, ut in epico carmine vix alibi locum inveniat, quam quum aliquid solito maius ac difficilius dicendum est: ut quum Homerus Il. II. 484. XI. 218. XIV. 508. XVI. 112. dixit:

ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι.

Alia, sed similis ratio est, si scriptor carminis didactici earum aliquam sententiarum repetit, quae praecipuum placitum admonitionemve non obliviscendam continent, ut apud Lucretium quater legimus:

hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est,
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Id eum exemplo Empedoclis fecisse non dubium videtur.

Aliud genus est eorum, quae in carminibus Homericis imitando iterata inveniuntur: quae sunt eiusmodi, ut si non poetas diversos, certe carmina separatim facta testentur. Nihil enim impedit quin credamus aliquem poetam quos uno in carmine versus posuisset, iis usum esse etiam in alio. Huiusmodi sunt quae leguntur in Odyss. XI. 416 seqq. et XXIV. 87 seqq. de quo loco dixi in dissertatione de ἄν particula p. 39. Talia aliquoties in comparationibus inveniuntur, ut Iliad. XI. 414. et XXII. 146. item XI. 554. et XVII. 657. quibus in locis pleraque iisdem verbis sunt exposita. Feramus fortasse, si quid huiusmodi paucis verbis continetur, ut illud de lacrimante Iliad. IX. 14. XVI. 3.

ὥςτε κρήνη μελάνυδρος,
ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Quid vero de sex versibus dicamus, quibus Iliad. VI. 506. XV. 263. equus describitur, aut de illis quinque, quibus XIII. 389. et XVI. 482. vir cadens in proelio cum arbore comparatur? Magis etiam absonum est, quod quae Iliad. XIII. 23—35. de Neptuno dicta sunt, VIII. 41—50. mutatis quae necessario mutanda erant, ad Iovem translata videmus. Eadem perversitate in Odyssea V. 8. Minerva Mentoris verbis, quae sunt in II. 230. utitur. Sic etiam praeclaros illos versus Iliad. XXII. 209.

καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο·
ἕλκε δὲ μέσσα λαβών· ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ,

VIII. 69. Achivis aptavit, qui istam carminis partem ex Homericis versibus composuit. Quae qui accurate consideraverit, quid aliud quam ornamenta esse ex antiquiorum poetarum carminibus decerpta fateri cogetur?

Sed progrediendum est longius. Nam videntur etiam iterationes factae esse, quibus non eaedem sententiae eademque verba iterarentur, sed modus dumtaxat narrandi repeteretur, substitutis aliis pro iis quae omitterentur. Quum enim in comparationibus fere ab una re similitudo peteretur, nisi ubi duo similia coniunguntur, ut *κάπριος ἠὲ λέων*, vel *κλαγγὴ χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων*, quibusdam in locis alia aliam sequitur comparatio. Ac sane vel per se habent eiusmodi exempla quo suspecta reddantur. Nam quum illustrandi ornandique caussa adhibeantur comparationes, haud recte facere videtur poeta, qui coniunctis duabus imaginibus altera alteram debilitat, animosque audientium in diversa trahit, ut nesciant utri similius sit id quod comparando illustrabatur. Mirum profecto foret, si id latuisset illos poetas, apud quos nunc istiusmodi exempla inveniuntur. Quod si recordamur, id quod multis iisque minime ambiguis documentis constat, rhapsodos, qui veterum poetarum carmina recitabant, eas potissimum partes, quae ornatui factae erant, pro suo arbitrio tractasse, quaeque vel minus placerent, vel splendidius dici potuisse viderentur, cum aliis commutasse, non multum opinor dubitabimus quin distinguere diversorum poetarum versus debeamus. Insigne exemplum est Iliad. XIX. 372.

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον,
χάλκεον· αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
εἵλετο· τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ' ἠΰτε μήνης.
ὡς δ' ὅτ' ἂν ἐκ πόντοιο σέλας ναύτῃσι φανήῃ
καιομένοιο πυρός· τὸ δὲ καίεται ὑψόθ' ὄρεσφιν,
σταθμῷ ἐν οἰοπόλῳ· τοὺς δ' οὐκ ἐθέλοντας ἄελλαι
πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φίλων ἀπάνευθε φέρουσιν·
ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος σάκεος σέλας αἰθέρ' ἵκανεν,
καλοῦ, δαιδαλέου.

Quis non videt, si clipeus Achillis cum fulgore lunae comparatur, refutari illam similitudinem adiecta descriptione alius multo magis fulgentis flammae? Ex quo facile licet existimare, diversorum haec poëtarum esse, quarum alter sola lunae similitudine usus fuerit, alter autem non posuerit hunc qui de luna est versum. Non minus memorabile exemplum praebent haec Iliad. XI. 548.

ὡς δ' αἴθωνα λέοντα βοῶν ἀπὸ μεσσαύλοιο
ἐσσεύοντο κύνες τε καὶ ἀνέρες ἀγροιῶται,
οἵτε μιν οὐκ εἰῶσι βοῶν ἐκ πῖαρ ἑλέσθαι,
πάννυχοι ἐγρήσσοντες· ὁ δὲ κρειῶν ἐρατίζων
ἰθύει, ἀλλ' οὔτι πρήσσει· θαμέες γὰρ ἄκοντες
ἀντίοι ἀΐσσουσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν,
καιόμεναί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ·
ἠῶθεν δ' ἄπο νόσφιν ἔβη τετιηότι θυμῷ·
ὣς Αἴας τότ' ἀπὸ Τρώων τετιημένος ἦτορ
ἤϊε, πόλλ' ἀέκων· περὶ γὰρ δίε νηυσὶν Ἀχαιῶν.

ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας,
νωθής, ᾧ δὴ πολλὰ πέρι ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγῃ,
κείρει τ' εἰςελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες
τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν·
σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς·
ὣς τότ' ἔπειτ' Αἴαντα μέγαν, Τελαμώνιον υἱόν,
Τρῶες ὑπέρθυμοι τηλέκλητοί τ' ἐπίκουροι,
νύσσοντες ξυστοῖσι μέσον σάκος, αἰὲν ἕποντο·

Utraque egregia imago est: sed qui alteram fecit, non usus esse altera videtur: tam inter se dissimiles sunt. Ut haec propter nimiam dissimilitudinem, sic propter nimiam similitudinem non est credibile ab uno poeta profecta esse, quae Iliad. II. 144. leguntur:

κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε
ὤρορ' ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων.

ὡς δ' ὅτε κινήσῃ Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
λάβρος ἐπαιγίζων, ἔπι τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν·
ὣς τῶν πᾶσ' ἀγορὴ κινήθη.

Non dubito idem contendere de eo loco in quo tot quot nullo in alio coniunctae sunt comparationes, II. 455.

ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή·
ὣς τῶν ἐρχομένων ἀπὸ χαλκοῦ θεσπεσίοιο
αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκεν.

τῶν δ', ὥςτ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών·
ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον· αὐτὰρ ὑπο χθὼν
σμερδαλέον κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.
ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι,
μυρίοι, ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.
ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά,
αἵτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν
ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει·
τόσσοι ἐπὶ Τρώεσσι καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
ἐν πεδίῳ ἵσταντο, διαῤῥαῖσαι μεμαῶτες.
τοὺς δ', ὥςτ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρες
ῥεῖα διακρίνωσιν, ἐπεί κε νομῷ μιγέωσιν·
ὣς τοὺς ἡγεμόνες διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα,
ὑσμίνηνδ' ἰέναι· μέτα δὲ κρείων Ἀγαμέμνων,
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.
ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων,
ταῦρος· ὃ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσιν·
τοῖον ἄρ' Ἀτρείδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ,
ἐκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν.

Apertum est versus 467. 468. et iis quos nunc sequuntur et versui 458. subiungi potuisse: sed qui poetae iis usi sunt, certo non fecerunt versus 469—473. Habemus ergo, nisi vehementer fallor, hic quattuor poetarum versus, quorum quisque pro suo sensu exercitum ad pugnam exeuntem descripsit. Quamquam haud scio an admirator aliquis eius carminum Homericorum formae, quam ab antiquis traditam accepimus, argumenta sit conquisiturus, quibus pro contraria sententia cum aliqua specie pugnari possit. At sunt alia, quae vel pertinacissimo antiquae auctoritatis defensori assensionem extorqueant. Non utar illis, quae apte dicit Telemachus, procos ex domo sua abire iubens, Odyss. II. 139. non apte autem I. 374. sed quis ferat Odyss. XVI.

damnatos iam a Zenodoto versus 281—298. qui importunissimo loco positi sunt, sumpti ex XIX. 5. ubi pars eorum potissima suam habet sedem? Ficta narrat Ulixes apud Eumaeum Odyss. XIV. 199. et apud Penelopam XIX. 172. Utroque loco se Cretensem esse ait, sed in priore Castoris, in altero Deucalionis filium: haec recte, quod vera dicere nolenti quidvis fingere licebat. Sed si fingeret, cur, ubi se de Ulixe audivisse dicit, eadem Penelopae quae Eumaeo refert, licet paullum mutato ordine? nam quae XIV. 323—330. leguntur, in XIX. scripta sunt v. 293—299. quae autem XIV. 331—335. in XIX. sunt v. 288—292. Alia potius poeta, si delectare auditorem vellet, fingere debebat, non iterum ponere, quae iam dicta essent, eoque minus, quod ficta non habent gratiam nisi a novitate. At non solum haec repetit Ulixes, sed quae XIV. 258. narrat, iterat etiam apud procos XVII. 425—441. Cuiusmodi iterationes aut magnae ingenii paupertatis aut insignis negligentiae documenta sunt: quod contra si in diversis carminibus eadem posita fuerunt, non est quod quis vituperet, quia si eiusdem poetae sunt, nihil impediebat quin alio tempore et coram aliis auditoribus recitaret quae his nova viderentur; sin diversorum poetarum, exornare iis sua carmina licebat aliunde depromptis versibus, quae tum omnium videtur poetarum consuetudo fuisse. Nullum vero incredibilius exstat iterationis exemplum, quam Odyss. IV. 613—619. XV. 113—129. quibus versibus Menelaus craterem describit, quem hospitii caussa donaturus sit Telemacho. Nam ne commemorem, quam parum veri simile sit, quod narratio illa quae de Telemachi apud Menelaum commoratione est, abrupta IV. 624. demum in XV. interpositis undecim rhapsodiis ad finem perducitur, illud plane absurdum est, istis quos dixi versibus id quod semel factum est bis referri. Atque hoc quidem tam manifestum est, ut ex eo de ceteris quae similia attulimus existimari possit. Ergo omnino triplex iteratorum genus est, unum, quae sunt verae iterationes, factae ab uno poeta in eodem carmine propterea, quod alia substituere vel exilis diligentiae vel pravi iudicii fuisset; alterum, quae videntur iterationes esse, sed non sunt, quum quis poeta vel alius poetae vel suis ipsius ex alio carmine versibus utitur; tertium denique, quae iterationes quidem sunt, verum illae non ab ipsis poetis, sed ab illis profectae, qui ex diversis carminibus Iliadem et Odysseam compo-

nentes nunc servarunt quae ex uno carmine in aliud erant translata, nunc ipsi, ut hiantia conglutinarent, lacunas ex aliis locis compleverunt. Atque illius quidem generis, quod positum est in utendis alienis, plura haberemus exempla, si alia ad nostram aetatem pervenissent antiquissimorum poetarum carmina. Eorum quaedam vestigia in ipsis Homericis inveniuntur.

Fuit quoddam pervetustum carmen de Nestoris rebus gestis, ex quo in XI. et XXIII. libro Iliadis aliquid conservatum est, ac nescio an ipsis poetae illius verbis. Magnam enim partem sermonis, quem in XI. habet Nestor, ita ab Homericis discrepare, ut manifestissime alium poetam prodat, iam in praefatione hymnorum indicavi: persecutusque est hanc rem diligenter singulari dissertatione Aemilius Pinzgerus edita Ratiboriae a. 1836. Alia horum pars continetur XXIII. v. 629—642. Utraque insigni exemplo monstrat quomodo alienis et usi et abusi sint poetae etiam antiquissimi. In utraque sermo est de Molionidis, de quibus quae Hesiodus rettulisse dicitur, nihil sunt aliud quam commenta ex male intellectis veteris poetae verbis hausta. Nam quum Homerus quos Iliad. XI. 709. *Μολίονε*, XXIII. 638. autem *Ἀκτορίωνε* vocat, XI. 750. coniuncto utroque nomine *Ἀκτορίωνε Μολίονε* dixerit, Hesiodus matrem iis fuisse credidit Molionen, quod nomen in Apollonii lexico et apud Pausaniam V. 2, 2. bis sine librorum discrepantia, et VIII. 14, 9. ubi unus tantum codex cum impressis *Μολιόνης* habet, *Μολίνη*, sed perperam, scriptum est. Molione dicta est ab Ibyco, Apollodoro, scholiastis Homeri ad XI. 709. Pindari ad Ol. X. 28. 29. Atque Apollodorus II. 7, 2. 2. p. 210. ita scribit: *παῖδες δὲ ἦσαν Μολιόνης καὶ Ἄκτορος, ἐλέγοντο δὲ Ποσειδῶνος. Ἄκτωρ δὲ ἀδελφὸς ἦν Αὐγέου.* Vehementer torsit grammaticos illud *Ἀκτορίωνε Μολίονε.* Apollonius in lexico p. 113, 21. *Μολίονες, μαχηταί, ἀπὸ τῆς κατὰ μάχην γενομένης μολήσεως ἢ ἀπὸ τοῦ συνεχῶς μολίσκειν εἰς μάχην· ἀπὸ γὰρ μητρὸς οὐδένα σημαίνει Ὅμηρος. Ἡσίοδος δὲ ὡς Μολίνης υἱοὺς γεγονότας παραδίδωσι.* Quae verba Alberti ad Hesychium ut ex Photio affert, quod repetivit Schneidewinus ad Ibycum p. 176. De Hesiodo testantur etiam scholiastae ad XI. 709. XXIII. 638. et Eustathius p. 882, 26. 1321, 24. ex quibus intelligitur, qui a matre nomen accepisse negarent, finxisse patrem eorum Actorem alio nomine Molum fuisse appellatum. At hoc aeque vanum esse ut Hesiodi inventum ipse poterat

Homerus ostendere, si recte ad eius narrationem attendissent. Dixerat apud eum Nestor de sua contra Eleos expeditione referens XI. 705.

μετὰ δέ σφι Μολίονε θωρήσσοντο,
παῖδ' ἔτ' ἐόντ', οὔπω μάλα εἰδότε θούριδος ἀλκῆς.

Deinde v. 738.

πρῶτος ἐγὼν ἕλον ἄνδρα, κόμισσα δὲ μώνυχας ἵππους,
Μούλιον αἰχμητήν· γαμβρὸς δ' ἦν Αὐγείαο,
πρεσβυτάτην δὲ θύγατρ' εἶχε ξανθὴν Ἀγαμήδην·

paullo post autem v. 750.

καί νύ κεν Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδ' ἀλάπαξα,
εἰ μή σφωε πατὴρ εὐρυκρείων Ἐνοσίχθων
ἐκ πολέμου ἐσάωσε, καλύψας ἠέρι πολλῇ.

Ex quibus satis planum videtur, patrem horum adolescentium fuisse Mulium, Actoris filium, cui frater Actoris Augeas filiam suam Agameden nuptum dederat. Itaque illi *Μολίονε* a patre, *Ἀκτορίωνε* autem ab avo dicebantur. Nacta tamen auctoritatem est Hesiodea interpretatio, creditusque Actor pater, non avus fuisse. Eadem temeritate ille qui dicitur Hesiodus etiam quae in XXIII. 638. leguntur est interpretatus. Ibi Nestor suam in ludis funebribus Amaryncei virtutem praedicans ita loquitur:

οἴοισίν μ' ἵπποισι παρήλασαν Ἀκτορίωνε,
πλήθει πρόσθε βαλόντες, ἀγασσάμενοι περὶ νίκης,
οὕνεκα δὴ τὰ μέγιστα παρ' αὐτόφι λείπετ' ἄεθλα.
οἳ δ' ἄρ' ἔσαν δίδυμοι· ὁ μὲν ἔμπεδον ἡνιόχευεν,
ἔμπεδον ἡνιόχευ'· ὁ δ' ἄρα μάστιγι κέλευεν.

Quae qui simpliciter, uti dicta sunt, interpretabitur, intelliget eo illos vicisse dici, quod, quum duo essent, quo certius victoria potirentur, alter tantummodo habenas tenuerit, alter equos incitaverit flagello: sic enim non mirum erat vinci Nestorem, quem solum in curru stantem simul et flectere equos et stimulare necesse esset. At Hesiodus quos Homerus *διδύμους* dixerat finxit bicorpores: *διφυεῖς γὰρ ἦσαν*, inquit scholiastes ad XI. 709. *ἔχοντες ἑκάτεροι δύο κεφαλάς, τέσσαρας δὲ χεῖρας καὶ πόδας τοὺς ἴσους, ἓν δὲ σῶμα.* Alius ibidem scholiastes: *ἢ ὅτι τερατώδεις τινὲς ἦσαν, ὡς Ἡσίοδος, ἄμφω ἐν ἑνὶ σώματι ὄντες· ὡς δὲ τινές, ἑκάτεροι δύο σώματα εἶχον.* Auxisse videtur miraculum Ibycus, cuius haec verba affert Athenaeus II. p. 58. A[illegible]

τούς τε λευκίππους κόρους,
τέκνα Μολιόνας, κτάνον,
ἅλικας, ἰσοκεφάλους, ἐνιγυίους,
ἀμφοτέρους γεγαῶτας ἐν ὠέῳ ἀργυρέῳ,

quae exceptis duobus primis versiculis Eustathius repetit p. 1321, 25. 1686, 45. Corruptus est tertius versus, cuius metro quidem prodest Meinekii ad Menandrum p. 11. coniectura ἰσοπάλους: at neque apparet quomodo hoc cum ἰσοκεφάλους commutari potuerit, et significantius quid requirimus. Qui ἰσοκεφάλλους scribi voluerunt, duplici via a vero aberrarunt longissime. Mihi quidem illud ἰσοκεφάλους et olim visum est et nunc videtur interpretatio esse poetici vocabuli ἰσοκαράνους, in quo prima syllaba non quod Ibycus ἴσος, non ἶσος, usurpaverit, quae Schneidewini opinio est, qui unde tandem collegit huic aliam quam ceteris lyricis mensuram placuisse? sed propter numerum dactylicum producitur. Credo autem, quum saepe heptametris dactylicis Ibycus et Stesichorus usi sint, ἐνιγυίους deficiente spatio ex inferiore versu additum esse praecedenti, versusque illos tales fuisse:

ἅλικας, ἰσοκαράνους,
ἀμφοτέρους γεγαῶτας ἐν ὠέῳ ἀργυρέῳ ἐνιγυίους.

Fabulam istam, quae de Molionidis apud antiquissimos ferebatur, in iis esse, quibus non certum factum, sed quod fieri soleat continetur, facile ex ipsis nominibus cognosci potest, modo ne quis cum Welckero lapides molares afferat. Quid significari videatur explicare studui in ea epistola, quam de ratione mythologiae ad Creuzerum scripsi, p. 52 seqq. Id nunc ex parte correctum paullo longius deducam. Phorbantis filius fuit Actor, teste Diodoro Siculo IV. 68. Hic, si Homerum recte sum interpretatus, filium habuit Mulium, cuius filii esse dicti sunt Cteatus et Eurytus, etsi verus pater habitus est Neptunus. Nimirum diligenti rei rusticae cura efficitur, ut proventus, hoc est pecudes et frumentum, exportetur ac venum detur, prospereque succedente eo negotio etiam mari ultro citroque quaestus caussa navigetur, acquiranturque opes, quibus alius possidendis, alius liberaliter utendis gaudeat. Eo ducunt nomina Phorbantis, Actoris, Mulii, Cteati et Euryti. Confirmatur hoc iis quae porro narrantur. Homerus Iliad. II. 620.

τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Θάλπιος ἡγησάσθην,
παῖδες ὃ μὲν Κτεάτου, ὃ δ' ἄρ' Εὐρύτου Ἀκτορίωνος.

Pausanias V. 3, 3. *βασιλείαν δὲ τὴν Ἠλείων Ἀγασθένης ἔσχεν ὁ Αὐγέου καὶ Ἀμφίμαχός τε καὶ Θάλπιος. Ἄκτορι γὰρ τοῖς παισὶν ἀδελφὰς ἐσαγαγομένοις διδύμας ἐς τὸν οἶκον, Δεξαμενοῦ θυγατέρας ἐν Ὠλένῳ βασιλεύοντος, τῷ μὲν ἐκ Θηρονίκης Ἀμφίμαχος, Εὐρύτῳ δὲ ἐκ Θηρεφόνης ἐγεγόνει Θάλπιος.* Harum quidem Dexameni filiarum alterius nomen corruptum esse non solum significatio ostendit, quod, quum opposita inter se esse debeant, eodem redeunt, sed apertissime etiam ipsa nominis forma indicat. Omnia enim, quae in antiquis fabulis inveniuntur nomina, quoniam ab antiquis poetis accepta sunt, convenientia esse versui heroico oportet. Ex quo facile apparet istam mulierem non *Θηρονίκην*, sed *Θηροδίκην* dictam fuisse. Similiter depravatum est Epei matris, filiae Endymionis nomen *Εὐρυκύδῃ* apud Pausaniam V. I, 4. 8. quod Pinzgerus in illa cuius supra mentionem feci dissertatione *Εὐρυπύλην* scribendum monuit auctore scholiasta ad Iliad. XI. 688. cui addere poterat Cononem narr. 14. et Etym. M. in *Ἦλις*. Ergo Dexamenus dictus videtur, ut Nereis Dexamene Iliad. XVIII. 44. a mutuo cum aliis commercio: quod est eiusmodi, ut cum iis, qui opum suarum tenaces ferino iure utuntur, rixae et pugnae de possessione oriantur; cum iis autem, quorum per liberalitatem interit feritas, placida et suavis exsistat consuetudo. Itaque Cteatus ex Therodica Amphimachum, Eurytus ex Therephona Thalpium dictus est genuisse.

IULIUS ROBERTUS DIHM.

Lubae, oppido Silesiae inferioris, a. XVI. natus patre Beniamine, mercatore, matre Amalia, e gente Naeckia, ex privata institutione in gymnasio Lubenensi per novem annos exercitatus a. XXXIV. in Academiam Berolinensem transiit; auditoque Savignyo, Vratislaviae disciplinis ad philosophiam pertinentibus operam dedit magistris Abeggio, Ambroschio, Branissio, Kutzeno, Kahlerto, Pohlio, Rohowskyo, Rhodio, Ritschlio, Stenzelio, Wachlero. Per annuum spatium educationem filiorum principis Adolphi de Hohenlohe-Ingelfingen Koschentini in Silesia superiore curavit. Creatus est AA. M. superiore anno, hoc demum renuntiatus.

EDMUNDUS FRIDERICUS ULRICUS HAPPEL.

Thoruni a. XVI. nato superstes est mater Guilielmina Nitykowska; pater Reinholdus Fridericus, philos. D., verbi divini minister ad aedem S. Trin. obiit a. XXIV. Ab eo puer litterarum rudimentis imbutus gymnasium per octo annos frequentavit. Inde in Universitate Berolinensi theologos potissimum, praeter eos autem Beneckium et Ohmium audivit.

HERMANNUS LEOPOLDUS ZUNCK.

Natus Thoruni a. XVIII. institutusque elementis litterarum in urbis illius gymnasio a. XXX., Lipsiae in mathesi et scientia naturali studium collocaturus operam dedi Fechnero, Drobischio, Hartensteinio, Heinrotho, Schwaegrichenio, Kunzio, Poeppigio, Hermanno, Klotzio, Wachsmuthio, Hassio, Niednero, quibus viris maximas quas possum gratias ago.

ANTONIUS STEHR.

Natus sum a. h. sec. XIII. Silesiae pago Gliersdorfensi, patre Iosepho, matre Thekla, e gente Rungia. Primis literarum rudimentis domi positis, gymnasium Nissense adii. Post annos octo, quum me theologiae et philosophiae caussa Vratislaviam contulissem perque tres annos ibi commoratus essem, ad litteras magis etiam excolendas, Universitatis Lipsiensis sedem petii. Hic interfui scholis Fechneri, Drobischii, Moebii, Hartensteinii, Weissii, Marbachii, Weberi, Niedneri, Hermanni, Heinrothi. Inter plurimos hos viros doctis-

tissimos, quorum nullum unquam tempus memoriam extinguere poterit, praecipue Drobischio et Hartensteinio, benevolentia et doctrina optime de me meritis, gratias ex animo ago quam maximas.

CAROLUS GUSTAVUS HEILAND.

Natus sum Herzbergae d. XVII. m. Augusti a. XVII. patre Carolo Theophile, redituum quaestore, ex Anna Helena e gente Hoenerkopfia. In schola publica Herzbergensi usque ad annum aetatis tertium decimum initiis litterarum imbutus in gymnasium Torgavanum receptus sum a rectore G. W. Muellero, viro de me optime merito. Qua in schola per quinque annos litteris eruditus anno h. s. XXXVI. adscriptus sum academiae Lipsiensis civibus, philologiae operam daturus, cuius studii auctorem mihi exstitisse G. A. Sauppe, gymnasii Torgovani conrectorem, gratissimo animo profiteor. Ex viris autem praestantissimis, qui hic antiquas litteras docent, audivi Hermannum, Wachsmuthium, Westermannum, Klotzium, Hauptium, Beckerum; historicis scholis interfui Wachsmuthii et Flathii, philosophicis Hartensteinii et Niedneri, hebraicis Niedneri et Redslobii. Summum autem attulit studiis meis adiumentum Hermannus, quod in societatem Graecam me recepit, atque Hauptius, cuius Latinae societati adscriptus sum. Wachsmuthius autem quum benevolentissimum semper erga me animum ostenderit, tum ad summos in philosophia honores adipiscendos stipendio me adiuvit et in historicam suam societatem recepit. Vehementer autem gaudeo copiam mihi factam esse, gratissimi erga hos viros animi publice declarandi.

THEODORUS DOEHNER.

Natus sum Zwiccaviae d. XXVI. m. Augusti a. XVII. parentibus Gotthilf Ferdinando, consiliario regio rerum ecclesiasticarum et scholasticarum, et Henrietta e gente Caspari. Postquam pater Fribergae munus ecclesiasticum et directoris regii seminarii scholastici subierat, primum a praeceptore domestico rudimentis litterarum exercitatus mox receptus sum in gymnasium Fribergense, quo relicto, pater illustri Moldano me committendum curavit: unde triennio post acerbo quodam fato devocatus, iterum in gymnasium Fribengense transmigravi, in quo Ruedigerum maxime expertus praeceptorem, Lipsiam me contuli ibique philologiae operam dare constitui. Usus sum autem potissimum Hermanni disciplina, qui, praeterquam quod me dignum censuit, quem reciperet et in regium seminarium philologicum et in societatem graecam, tanta benevolentiae et favoris dedit documenta, ut nesciam, utrum in hoc viro incomparabili doctrinam an humanitatem magis admirer; praeclare etiam de me meriti sunt Klotzius et Hauptius, qui societatis latinae me sodalem esse voluit; praeterea autem frequentavi scholas Wachsmuthii, Westermanni, Beckeri, Hartensteinii, Niedneri, Biedermanni.

EDUARDUS KERST,

Gothanus, de vita sua nihil ad nos perscripsit. Dedit hic philologiae operam, fuitque in Societatem Graecam et Regium Seminarium philologicum receptus.

GUILIELMUS FERDINANDUS LUNDEHN.

De octo fratribus sextus natus est Gedani a. MDCCXCIX. Andreae, fabro Stockholmia oriundo, ex Adelgunda Krammia. Schola civica, cui traditus erat, a. XIII. in nosocomium militare mutata, nec multo post falaricis globisque igniferis incensa deflagrataque, a candidato quodam theol. diligenter institutus est. Mercaturae, cui destinatus erat, taedio captus, quum per annum XVIII. inter voluntarios pedites militasset, Magdeburgi apud architectos hydraulicos omni studio architecturam quaeque ad eam pertinent disciplinas mathematicas est amplexus, positoque a. XX. tirocinio tentatus Berolini a supremis architecturae praefectis. Inde se contulit in Silesiam, iuratusque Oppolii multis aedificiis molibusque exstruendis ita occupatus fuit, ut demum a. XXIX. ad summum architecturae examen redire Berolinum potuerit: quod subiit a. XXXIV., quoniam consultius duxerat prius et privatim et in Universitate Berolinensi mathemathicas, physicas, philosophicas doctrinas quam diligentissime tractare. Superato examine iterum in provinciis functus est negotiis publice sibi mandatis. Oculorum autem morbo ex lucubrationibus orto rediit Berolinum, ubi doctrinas illas excolere docereque pergit.

IOANNES FRID. LUDOV. THEOD. MERZDORF.

Natus sum a. XII. Lipsiae patre Ioanne Christophoro, tapetibus cubicula vestienti, matre Friderica Luisa Rosina ex antiqua gente Wendlandia. Primum animi nutrimentum praebuit schola, quae auspiciis V. C. Gediekii floruit, deinde scholam ad aedem D. Nicolai usque ad annum aetatis XIII. visitavi, ubi avunculus meus, Frid. Guilelm. Sturzius, illustris Moldani quondam rector Grimam me vocavit, ut ibi linguis antiquis ceterisque disciplinis studerem. Ast infortunio quodam accidit, ut post aliquot temporis intervallum recederem, quapropter a. h. s. XXX. Lipsiam reversus iterum frequentavi scholam Nicolaitanam, ubi praeceptores habui Nobbium, Frotscherum, Forbigerum, quos semper summa pietate colam. A. XXXIV. civibus almae nostrae academiae adscriptus signa philologiae sequutus sum; G. Hermanni scholis interfui, Westermannum et Klotzium audivi, Krugio duce philosophiae, Wachsmuthio fautore historiae operam dedi et praeterea me studio bibliographiae vovi. Nunc avocor Elsflethum, oppidulum ad Visurgim, ut scholam susciperem. Edidi 1) Cleanthis hymnum in Iovem (quem 1785 ediderat avunculus meus) Lips. 1835; scripsi 2) libellum de unico liberorum latomorum, quod statuendum est, principio, nempe libellum dico: *Die Symbole, die Gesetze, die Geschichte, der Zweck der*

Maisonei schliessen keine Religion von derselben aus. Leipz. 1836. 3) Libellum de Iudaeis civitate donandis (*Ueber Emancipation der Juden. Leipz.* 1837). 4) poemation (*Johannis-Gruss* 1837). 5) Catalogum feci Bibliothecae Mehnertianae publicae auctionis lege divendendae scripsique praefationem de Nicolao Marschalco Thurio. Lips. 1838. 6) Catalogum feci librorum Latomicorum auctione divendendorum. Lips. 1839. 7) Recudi iussi, adnotationibusque instruxi Conradi Wimpinae centuriam de vir. illustr. Acad. Lips. Witteb. Francof. ad Viadr. Lips. 1839, quam pietatis et grati animi parvulum testimonium amplissimo, qui Lipsiae floret, ordini dedicavi.

IOANNES CAROLUS CHRISTOPH. KNOBLAUCH

Hermannipagensis est, theologiae candidatus. Vitae descriptionem ab eo nullam accepimus.

EUGENIUS BERNARD. LUDOV. BORKENHAGEN.

Sedini natus a. X. celebri Pommeraniae emporio. Parentes Car. Guilielmus, mercator, et Sophia Elisabetha Krügeria, quum a. XII. propter belli turbas Berolinum commigrassent, litterarum elementa in ludo Heynii, deinde in schola Maedleri accepit. Matre a. XXII. mortua, quum se pater Vratislaviam contulisset, ibi a praeceptore domestico, Iul. Andersono, educatus gymnasium Fridericianum per octo fere annos frequentavit. A. XXX. Universitatem Gryphiswaldensem adiit theologiae et philologiae caussa. Anno sequente iisdem studiis Berolini se dedere perrexit, exactoque triennio semestri spatio seminariis, quibus Marheineckius, Boeckhius, Lachmannus praeerant, multo cum fructu usus est. Superatis a. XXXIV. examinibus, Neandri commendatione liberos Werneri, mercatoris, Varsoviae ita instituendos accepit, ut biennio in secundam classem gymnasii Borussici possent admitti. Id praestitit, deduxitque pueros Vratislaviam in idem gymnasium, cuius institutione ipsi frui contigerat. Inde Thorunum, patris sororumque domicilium, petiit, ubi usque ad a. XXXVI. in schola urbis regioque gymnasio gratis docuit. Admissus ad examen pro ministerio, probatusque, a. XXXVI. praeceptor in regio gymnasio auxiliaris, in schola urbana ordinarius factus, his officiis functus est usque ad m. Octobr. XXXVII., quo tempore ex inopinato ei munus rectoris scholae urbanae et diaconi ecclesiae evangelicae Suecensis demandatum est, quod adiit d. XXIX. Maii a. XXXVIII.

IOANNES GODOFREDUS WETZSTEIN.

Oelsnitii in Variscis a. XV. natum parentes Io. Aenotheus, cerdo coriarius, Annaque Sophia, praeter communem scholae disciplinam cantu et arte musica,

quibus magnus ibi honor est, instituendum curarunt. A. aetatis XIV. traditus gymnasio Plaviensi optime de se merentem habuit rectorem Doellingium, qui eum Latinae potissimum poesis amore incendit. Quinto anno post disciplinam scholasticam apud nos in schola Thomana absolvit. Ibi Lipsio duce linguam hebraicam, quae aliis in scholis miserrime iacet, diligere coepit. Post annuum spatium Academiae adscriptus, illi linguae operam dare perrexit, in societatem hebraicam ab Redslobio admissus, a quo etiam linguae Arabicae elementa accepit, hortatuque eius Fleischerum adiit, cuius in societate Arabica intellexit, quantum haec, quae eam linguam ut vivam tractaret, diversa esset ab illa Hebraica societate. Accepto ex bibliotheca Senatus Lips. codice Arabico, cuius partem describeret et verteret, vidit quem vitae cursum tenere deberet. Itaque linguarum orientalium studia cum theologia coniunxit. Ita fere exacto triennio Academico, ut parentes, qui ei etiam posthabitis ceteris liberis omnia necessaria suppeditaverant, ea cura levaret, praeceptoris privati munus in urbe nostra recepit. Ita actis XXVI. hebdomatibus, patruus, dives carensque liberis eum pecunia adiuvit, promisitque provisurum ceteris quibus ad absolvenda eius studia opus esset. Itaque munere illo se abdicavit, incubuitque in litteras, theologiae theoreticae se dediturus. Dissertatione de codice illo Arabico scripta ab Illgenio dignus iudicatus est qui reciperetur in societatem historicam theologicam. Mense Iulio superavit feliciter examen theologicum. Patrui liberalitate adiutus Parisios studiorum caussa adibit.

OTTO RUDOLPHUS ABENDROTH.

Huic Pirnae a. XI. nato mater Anna e gente Richteria est, pater Io. Theophilus, pharmacopola, ante hos duos annos mortuus. Is eum sedulo cum fratribus erudiendum curavit, formatumque in schola Dresdensi ad S. Crucis, ab a. XXVII. arte pharmaceutica exercuit. Inde eum ad se recepit Ficinus, qui tum Dresdae pharmacopolium regebat, nunc autem ibi physicen et chemiam docet. Ei plurimum se debere ait. Absoluto tirocinio a. XXXI. occupatus erat in laboratorio paternae officinae, quum ei contigit ut eo officio Altonaviae apud Strubium adhiberetur, apud quem vaporum in arte pharmaceutica usum cognovit. Ab a. XXXIV. ut artis illius statum etiam alibi exploraret, biennium Hanoviae Francofurtique in pharmacopoliis versatus, Berolini per integrum annum Lindesio duce doctrinas pharmaceuticas tractavit, adscriptusque civibus Academicis, lectionibus interfuit Mitscherlichii, H. Rosii, G. Magni, Schubarthi, Kunthii, Linkii. Ita acto anno Dresdae examine pharmaceutico probatus, adiuvit patrem Pirnae, quo mortuo a. XXXVII. una cum fratre illam officinam regebat. Eam mox fratri reliquit, quum impetrasset, ut ei cum F. Hollio institutum pharmaceuticum Dresdae condere liceret.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HOLL.

Parentes huic fuerunt Io. Petrus, sartor, et Eleonora Iaeckelia, nato a. XCIV. Ex prima institutione scholae, quae Dresdae Angerum rectorem habebat, adiit scholam ad S. Crucis, triennioque ea usus, Bürgero pharmacopolae Dresdensi traditus est docendus. Inde ibidem in Academia medica et chirurgica magistros habuit Tobiam, Raschigium, Koberweinium, Pechium. A. XII. nostrae universitatis civis factus scholas anatomicas, physicas, chemicas, pharmaceuticas, mineralogicas, botanicas, zoologicas, zootomicas Rosenmuelleri, Gilberti, Eschenbachii, Schwaegrichenii, Cari frequentavit. Quinque hic actis semestribus, urgente belli calamitate, in pharmacopoliis Lubbenaviensi, Erfurtensi, Schleusingensi, Itzehoensi, Eckernfoerdensi, Dresdensi stipendia fecit. A. XXV. Sieberi, nobilis viri, sumptu herbas colligendi caussa Italiam, reversus deinde, a. XXVII. eadem caussa, munificentia b. regis Frid. Augusti adiutus, Lusitaniam Maderamque insulam adiit. A. XXVII. docere coepit Dresdae doctrinas pharmaceuticas. Nuper concessum ei est, ut cum Abendrothio institutum pharmaceuticum conderet.

GEORGIUS MARTINUS THOMAS.

Natus sum Onoldi a. h. s. XVII. patre Theophilo, matre Ioanna Catharina e gente Barthelia. Postquam in scholis civicis eram eruditus, parentes me Ill. Carolo-Alexandrinum, quod in illa urbe floret, adire iusserunt, ubi optimis usus praeceptoribus tanto antiquitatis amore correptus sum atque incitatus, ut nihil concupiscerem ardentius, quam ut longius possem in his studiis progredi; quod ut evenerit, debeo maxime eximiae comitati et benignis consiliis VV. DD. Elspergeri, Bombardi, tunc temporis scholae directoris, I. A. Schaeferi, senis venerabilis. Migravi igitur Monacum a. h. s. XXXV., ubi civibus academicis adscriptus frequentavi scholas Schellingi, Schuberti, Erhardi philosophicas, Siberi physicas, Hirli mathematicas, Neumanni historicas, inprimis vero Thierschi philologicas, qui vir Ill. Seminarii Philologici exercitationum me fecit participem. Vere anni XXXVII. profectus sum Lipsiam cum maxima mea utilitate et fructu perenni. Nam contigit mihi, ut audirem Godofredum Hermannum, qui non solum Societatis Graecae et Seminarii Philologici me fecit sodalem benignissime, sed etiam aliis et multis benevolentiae documentis ita me sibi reddidit obstrictum, ut quae debeo viro incomparabili nequeam verbis exprimere; contigit ut audirem Westermannum, Klotzium, Beckerum, Redslobium, cuius Societatis Hebraeo-Philologicae eram sodalis, Winerum, Krugium, Hartensteinium, Hauptium, cui viro singulares gratias agam oportet, quod et Societati Latinae me voluit adscribi et alias inopiam meam benignissime levavit. Denique non possum quin gratum me praebeam Drobischio, qui h. t. Decanus ad obtinendos summos in philosophia honores stipendio me adiuvit lubentissime.

AEMILIUS PREUSSER.

Parentibus belli turbine domo exactis, natus sum Haynae, anno h. s. tertio decimo. Eundem ferme et quod excedit aetatis annum agens, in illustrem, quae Misenae floret, scholam Afranam me contuli, unde absoluto propemodum sexennio Lipsiam, hinc Monacum abii, reversus vero inter privatos parietes vixi.

ALBERTUS HENRICUS THEODORUS THYM.

Dami oppido non procul ab Sedino in Pomerania a. III. ex filia natu minima Teschendorfii, corbium textoris, susceptus patri, chirurgo militari, post adversa belli inspiciendis prope Treptoviam navibus onerariis et frumestariis exigendisque vestigalibus praefecto. Institutus primo in schola Damensi, celebre tum gymnasium Sedinense adiit, ex quo Boehmeri professoris consilio, qui eum magnis beneficiis ornavit, Berolinum profectus est, ubi per IV annos studiose audivit theologos. Impetrata potestate contionandi, viatico a clem. principe Frider. Guilielmo instructus. Elverivillae vicarii munere functus est. Triennio post, quum aliquot menses Tempelburgi commoratus esset, a magistratu Slavensi diaconus vocatus est a. XXXI. Eo anno uxorem duxit Aemiliam Gostkowskam, ex qua ei duo liberi nati. Tertio post anno Ritschlii, Pomeraniae episcopi evangelici, et Ulrici, consiliarii in rebus scholasticis, commendatione pastor Garzigarensis et ephorus dioecesis Leoburgensis est constitutus.

ALEXANDER BECKER.

Pater huic fuit Christianus Theophilus, mater est Carolina Krumbhaaria. Natus Lipsiae a. XVII. primam institutionem accepit in schola a Platone condita. Dein privatum magistrum habuit Kunzium, quem valde laudat. Tum quinque annos in schola ad D. Nicolai eruditus, a. XXXVII. in Academiam transiit, philosophiae, litteris antiquis, et iuris scientiae operam daturus. Itaque audivit Hartensteinium, Biedermannum, Wachsmuthium, Flathium, me, Beckerum, Haenelium, Puchtam, Poelitium. Latine scribendo disputandoque privatissime exercitatus est a Westermanno. A. XXXVIII. Heidelbergam abiit, scholisque ibi interfuit Schlosseri et iurisconsultorum. Eodem anno reversus ad nos doctoribus usus est Drobischio, Hartensteinio, me, Beckero, Steinackero, Marezollio, Schillingio, Bergero.

MAXIMILIANUS HERMANNUS FROTSCHER.

Pausae in Variscis prid. Cal. Ian. a. XVII. natus, parentes, paullo post quam eum sedulo educatum gymnasio Plaviensi tradiderant, primo matrem, Io. Eleonoram Roemeriam, alteroque anno patrem Fridericum Gottholdum,

praetorem Pausae, morte ereptos luxit. Orbum consolati aliquantum sunt propinqui et soror, quae inde maternam ei curam dicavit. A. XXXVI. nostrae Universitatis civis factus, quum philologiae et theologiae studia coniungere cupiens ad id naviter faciendum non sufficere rerum suarum conditionem videret, ad sacras potissimum litteras se applicuit. Audivit me, Wachsmuthium, Drobischium, Hartensteinium, atque ex theologis maxime Winerum, Niednerum, Grossmannum, Theilium, a quo in societatem exegeticam receptus, multisque benevolentiae documentis cumulatus est. Valde laudat etiam Fischerum, ad D. Nicolai archidiaconum. Nuper bene superato examine factus est candidatus theologiae.

CAROLUS LUDOVICUS AUGUSTUS HUEBNER.

Graudentii natus a. XII. quum pater, qui iudex militaris erat, puero morte ereptus esset, cum matre Regimontum commigravit. Ab avunculo parochiae ruralis antistite praeparatus, discipulis adscriptus est collegii Fridericiani, cuius institutione sex annos usus, in Academia Regimontana ad Olshausenium potissime, Kaehlerum, Lehnertum, Herbartum se applicuit. Triennio Academico propter diuturnum morbum ad quadriennium producto, superato examine, pueros nobilis a Sauken Tarputschen instituit, quos quum idoneos disciplinae gymnasiali fecisset, per unum annum alios pueros puellasque Regimonti docuit. Inde institutionem recepit patricii viri a Berke Tolksdorf.

FRIDER. FRANCISCUS HENRICUS MARCKWART.

Hic Graboviae natus ab a. XXVII. ad XXX. in Universitatibus Bonnensi, Heidelbergensi, Rostochiensi, Berolinensi lectiones audivit theologicas et philosophicas. Inde semestre spatium in gymnasio Parchimensi docendis linguis, religione, historia vices sustinuit aegrotantis harum rerum magistri.

CAROLUS GUSTAVUS MEISSNER.

Patrem habuit Carolum Christianum, Zittaviae, ubi natus est a. V. praecentorem ad D. Petri et Pauli. Ex scholae civicae disciplina in gymnasium a. XVII. transgressus, inde a. XXVI. ad nos venit, magistrosque habuit Krugium, Tzschirnerum, Tittmannum, Wachsmuthium, Rosenmuellerum, Hahnium, Platonem, Lindnerum, aliosque. A. XXXII. Zittaviae praeceptor factus est scholae civicae.

FRIDER. GUIL. FRANCISCUS GUTSMUTHS.

Ibenhaynae in ducatu Gothano natus a. XV. parentibus Io. Christophoro Friderico, Sophia Carolina Eckardtia, ex schola Schepfenthaliensi a. XXXII.

in polytechnicum Berolinensem transiit, cuius magistros per duos annos audivit, simulque, quod regiae illius scholae discipulorum ius est, Universitatis doctorum Ritteri, Raumeri, Steffensii, Zumptii lectiones visitavit. A. XXXIV. Universitatis civis factus, scholis interfuit per duos et dimidiatum annum Mitscherlichii, Ermanni, Sebeckii, Fr. Hoffmanni, Ohmii, C. Ritteri. A. XXXVI. Beuthii auctoritate in officina scholae polytechnicae arte chemica exercitatus est. Inde ei a. XXXVI. primi praeceptoris in Saalfeldensi schola reali munus demandatum, quo fungens a. XXXIX. d. XX. Dec. supremum diem obiit.

CHRISTIANUS ALBERTUS WEINLIG.

Lucem vidit Dresdae a. XII. pater Christianus Theodorus, ab a. XXIII. apud nos in schola Thomana cantor est et director musicae. Filium is Dresdae in scholis privatis institutum, a. XXIII. scholae Thomanae commisit, in qua per sex annos ad altiora studia praeparatus, ab a. XXIX. in Universitate nostra audivit Kuehnios, Brandesium, Erdmannum, Schwaegrichenium, Kunzium, Weberum, Bockium, Ceruttium, Haasium, Kneschkium, Radium, Clarum, Ioergium, Heinrothum, Ritterichium. In utroque examine medicorum primam censuram tulit. A. XXXIII. scripta defensaque dissertatione de contagiis in universum et de infectione neonatorum doctor medicinae et chirurgiae creatus paullo post deposuit delatum sibi biennio ante ab Ioergio munus medici secundarii in instituto obstetricio. Inde studiis maxime chemicis, mineralogicis, technologicis occupatus Herschelii Anglice scriptum sermonem de studio philosophiae naturalis in patriam linguam vertit, ediditque breviarium phytochemiae, atque alias commentariis pharmaceuticis et polytechnicis insertas dissertationes.

ERNESTUS GUSTAVUS NAUMANN.

In Marchia Theophilo, cui Comes a Bose Ucroviae reliquorumque vicorum suorum curam commiserat, ex Ioanna Handlovia sextus liberorum duodecim a. d. VII. Cal. Iun. a. XVI. natus est. Ab ipsa infantia per suam aliorumque temeritatem multis periculis conflictatus, divina providentia sospes, quum bonarum artium amore incensus esset, litteris imbutus est ab Lautenbachio, R. M. candidato. A. XXIII. quo pater Golsenam urbem vicosque finitimos Comitis Fontanae conduxit, et a rege Borussorum cursoribus publicis praefectus est, Foertschium, diaconum ecclesiae Golsnensis, adiit. Huius eruditione, docendique dexteritate valde gavisus est, ususque esset diutius, nisi eius superbia in praefractam asperitatem abiisset. Itaque Saemischio, tunc sacri muneris candidato, nunc archidiacono, in disciplinam traditus est, qui summa cura humanissimeque eius commodis prospexit. Eius institutione praeparatus, in gymnasium Lucaviense deductus est, cuius quum incredibiliter remissa et prava disciplina esset, a. XXXI. traditus est scholae Afranae, ex qua bis praemio

certaminis Latinae poesis affectus, honorificeque missus, a. XXXVI. Universitatem Berolinensem adiit nomenque inter philosophiae studiosos professus diligentissime Graecos Romanosque scriptores tractavit, quum his et aliis in doctrinis Bekkerum, Zumptium, Lachmannum, Hagenium, Rankium, Stuhrium, Benekium, Gablerum magistros sequeretur. Linguam autem Gallicam et Russicam ut cognitione complecteretur, velut sine cortice natavit. A. XXXVII. in nostram se contulit Academiam, ubi animum ad sacra appulit, et tum disputationibus in exegetica et dogmatica, cui Kuechlerus praeest, societate, tum contionibus in vicis propinquis ingenium exercuit. Magistros apud nos habuit Beckerum, me, Westermannum, Hauptium, Flathium, Hassium, Wachsmuthium, Hartensteinium, Krugium, Angerum, Fleckium, Fleischerum, Grossmannum, Haenselium, Kuechlerum, Niednerum, Theilium, Winerum, Winzerum, quibus omnibus se gratissimum profitetur. A. XXXIX. legi patriae satisfacturus Berolinum rediit, Neandri, Micheleti, aliorumque scholis usurus.

FRANCISCUS THEODORUS HEYLAND.

Natus sum Gerae a. XVIII. in eiusque urbis schola institutus. Quum animus ad mathesin et physicen inclinaret, Eiselii conrectoris dexteritate in docenda mathesi ad illa studia ductus, annos natus XVIII. me contuli in Academiam Lipsiensem, in qua quum philosophiae, tum maxime mathesi et physicae me dedidi.

DAGOBERTUS ERNESTUS FRIDER. BOECKEL.

A. XVI. Gedani natus, patre Ernesto Godofredo Adolpho, tum ad aedem St. Iohannis oratore sacro, ex Ioanna Elisabetha Guentheri, mercatoris Regiomontani, filia, quum Gryphiae, quo pater anno XX., ut professoris munere fungeretur, vocatus erat, a Curtio, gymnasii Gryphiswaldensis quondam conrectore, primam institutionem accepisset, deinde autem per duos annos Hamburgi, qua in urbe pater a. XXVI. ad aedem St. Iacobi pastoris primarii munus susceperat, Ioanneum frequentasset, privatis scholis Peterseii, Bubendéyi et Prelleri eruditus est. Ab a. XXXIII. per tres annos scholae Bremanae patrisque institutione usus vere anni XXXVI., Halas Saxonum se contulit, ubi per annum et sex menses lectionibus interfuit Wegscheideri, Tholuckii, Niemeyeri, cui ob magnam erga se benevolentiam summas debet gratias, tum Gesenii, Roedigeri, Tuchii, Bernhardyi, Gerlachii. A. XXXVII. petiit Gottingam, audivitque Ewaldum, cuius etiam societati exegeticae adscriptus est, Gieselerum, Lueckium, frequentavitque Koellneri societatem exegeticam. Qua Academia clarissimis doctoribus orbata ad nos venit, usus que est magistris Winero, Winzero, Angero, Illgenio, a quo est societati historicae theologicae adscriptus, Niednero, Klotzio, Fleischero, Redslobio, qui eum in societatem hebraicam

receptit, et Beario. Inde se Gryphiam contulit, ubi Seminarii regii exercitationibus Finelio Voigtioque praesidibus, et studiis philologicis Schoemanno duce operam dedit. A. XXXIX. Oldenburgum, quo pater ab Augustissimo Magno Duce ut rebus ecclesiasticis praeesset vocatus erat, reversus est, Oldenburgensiumque numero adscriptus.

OSCAR CAROLUS ALFREDUS HUNGER.

Natus est Monte Bellicardo, quo se mater Catharina Margerita gentis Westiae propter rem familiarem contulerat, Carolo Friderico, tum Pirnae conrectore, nunc Grunbergae prope Waldhemium pastore: qui quum factus esset diaconus Kuenigsteinii, ibi et ipse instituit filium et docendum curavit in schola oppidi. Deinde per quinquennium disciplina usus gymnasii Fribergensis, a. XXIX. ad nostram Universitatem accessit, ubi audivit Tittmannum, Rosenmuellerum, Winzerum, Illgenium, Hahnium, Grossmannum, Lindnerum, Fleckium, Niednerum, Theilium, Angerum, Beckium, Poelitium, Heinrothum, Krugium, Schwaegrichenium. Examine pro candidatura superato visit oppidum natale quosque ibi habet propinquos. Tum Lausonium in Helvetia vocatus est praeceptor in schola privata Gaudini: quod munus commutavit cum alio: quippe institutione recepta liberorum Fayodi, salinis Bekii ad Rhodanum praefecti. Reversus per partes quasdam Galliae, Helvetiae, Italiae, Austriae, subiit examen pro Rev. Min. a. XXXV. Tum ei princeps Schoenburgo-Waldenburgensis Otto Victor liberos instituendos tradidit: quo munere postea functus est apud principem Hohenlohe-Ingelfingen Koschentini in Silesia, postremoque in domo Holynski Marschalis provinciae Mohilewiensis ad Borysthenem. Nunc Chemnitii linguas Gallicam et Anglicam docet, doctorque est linguae Gallicae in schola opificum.

AUGUSTUS FRIDERICUS MUELLER.

Natus sum Eibenstockii d. III. m. August a. h. s. XI. patre Aenotheo Friderico, sartore, matre Ioanna Friderica e gente Lorenzica. Ab his puer XIV. annorum traditus gymnasio Schneebergensi, praeceptoribus usus sum b. Iagio, Weidauero, b. Schuberto, b. Voigtlaendero, Raschigio. A. XXXI. ad Academiam accessi, theologiae operam daturus, scholasque frequentavi quum aliorum, tum Hermanni, Wachsmuthii, Krugii, Heinrothi, ex theologis potissimum Wineri, Grossmanni, Niedneri, Theilii, cui, quum societati exegeticae et hebraicae me inseruerit, plurima debeo. Praeter hos ducem ac patronum venerer Krehlium, optime de me meritum, quocum in arctiorem consuetudinem venire eo mihi contigit, quod ex sociis sum societatis homileticae, quae a Iovis die nomen ducit. Examen pro candidatura et licentia contionandi felicissime su-

peravi a. XXXIV. Nec praetereundum videtur, quod mihi per benignitatem Senatus huius urbis amplissimi concessum erat, ut per dimidium annum in schola Nicolaitana vicario praeceptoris munere fungerer.

FRIDERICUS HERMANNUS HOERING.

Quartus liberorum parentibus, Theophilo Guilielmo, mercatori, Sophiaeque Graefiae Gehrenae in principatu Sondershusano natus a. X. materna puer educatione diligentissima, quum pater fere semper negotiis suis occupatus esset, gavisus est. Institutus a praeceptoribus privatis totus traditus est avunculo, Car. Graefio, tum Mellenbaci pastori, optimo et probatissimo viro, qui nunc Rudolstadii diaconi professorisque mathesis et physicae in gymnasio munere fungitur. Biennio post a Dietzio, cand. theol. praeparatus, examinatusque in gymnasio Arnstadiensi, in Rudolstadiense gymnasium susceptus est: cui quum a. XXXI. publice valedixisset, examinatusque rite esset Arnstadii coram consistorio, ad nos accessit, auditisque per tres annos Illgenio, Hahnio, Theilio, Fleckio, Angero, Drobischio, Winero, aliisque, a. XXXIV. iterum Arnstadii examinatus, adscriptus est candidatis theologiae. Inde Wurzenae in domo affinis amice acceptus aliquot nobilium liberis erudiendis operam dedit, multum simul fructum ex seminario candidatorum, cui Adam, ephorus dioecesis, praeest, percipiens. A. XXXVIII. rectore scholae civicae mortuo, octo menses hujus vices gessit. Tum ad nos reversus, ab Illgenio societati historicae theologicae adscriptus, ab Handero autem instituti paedagogici socius factus est.

BENIAMIN TRAUGOTT SCHOENRICH.

Zaulsdorfio in Variscis natus a. XI. Pater Christianus Theophilus, praeceptoris officio fungens, cum uxore Sophia Saxenwegeria et octo liberis, quos sordidissimas operas rusticas subire necesse erat, vix ferebat acerbissimam paupertatem. Ita hic ex eius filiis quum avunculi res domesticas Lengenfeldae curandas accepisset, vaccam pastum agebat. Commissus tamen a. XXV. scholae Plaviensi, qua in urbe duobus eius fratribus maioribus contigit, ut h. regis Friderici Augusti civiumque Plaviensium benignitate adiuti, alter studiis paedagogicis, alter theologicis operam dare possent. Illi scholae Wimmeri rectoris benevolentia adscriptus, nonnunquam ab nobili de Planitz, qui circulo Varisco praefectus erat, necessaria accepit. Octo ibi annos versatus est, quorum postremis alios discipulos docendo sibi victum paravit. Inde quum ad nos venisset, subventum eius inopiae est domicilio in aedibus Paulinis, variisque stipendiis a me, Winzero, Illgenio, Poelitio, Grossmanno, Iunghannsioque maxime senatore. Audivit theologos, philosophos, et Funckium, med. D. Arti paedagogicae studuit Lindnero et Platone ducibus. Superato examine pro candidatura et

potestate contionandi statim sub Hanschmanni auspiciis praeceptoris officiis fungi coepit, sed sublatis mutata re scholastica quibusdam scholis nunc sub Thonii praesidio eam artem exercet.

SAMUEL GOTTLOB ROBERTUS PHILIPP.

Vivunt huic parentes Guilielmus, coriorum fabricator, et Christiana Platzia, quibus natus est Olsnae in Silesia a. XV. Ex privata institutione traditus patrio gymnasio, dimissusque inde a. XXXIII. cum primae notae laude, operam philologiae daturus Vratislaviam venit. Ibi duos annos auditor fuit Schneideri, Ritschlii, Branissii, Wachleri, Stenzelii, degustavitque etiam theologiam offerente Dav. Schulzio. Inde Berolinum profectus magistros habuit Boeckhium, a quo est in seminarium philologicum receptus, I. Bekkerum, Lachmannum, Zumptium, Droysenium, Steffensium, Gablerum, Trendelenburgium, Raumerum, Rankium, C. Ritterum; quibus omnibus gratias agit. A. XXXVII. Carolus de Graefe, princeps medicorum, eum in domum suam recepit, ut eius duos filios minores filiamque, optimam spem facientes, institueret: quo se valde felicem praedicat.

GUSTAVUS ADOLPHUS FLEMMING.

Natus est Dresdae a. XV. Pater Car. Augustus, medicus erat militaris superioris ordinis, qui postea vacatione muneris data Dresdae medicinam facit; mater Carolina Guilielmina, Leonhardi f. Lipsiae quondam, post Vitebergae professoris medicinae. Elementis litterarum in schola, cui Krugius praeerat, acceptis in quintam classem scholae ad St. Crucis receptus est. Ibi maxime Boettcheri in tertia classe egregia eum institutio excitavit. Gravis eum dolor cepit, quum se a patre, quo inscio linguae Hebraicae scholis interesse constituerat, arti medicae destinatum sensisset: obsecuturus tamen erat patri: sed hunc quum diuturnus morbus in lecto teneret, taedere coepit artis medicae, ut suaderet filio iuris scientiam amplecti. Cessit, quamvis aegre, ut parceret aegro. Mortuo vero patre mutavit consilium coepitque linguam Hebraicam Boettchero duce tractare. A. XXXIV. ad Academiam accessit, Angeroque commendatus a Boettchero, impetravit ut in eius societatem reciperetur, cui per omne triennium interfuit. Summo studio tractavit cum quibusdam commilitonum libros V. et N. T. aliasque doctrinas theologicas, diligenter audiens earum doctores. Adiit etiam societatem a Fleckio cognato sibi conditam, disputandique exercitationes a Klotzio institutas. Practicae theologiae operam dedit ducibus Platone et Krehlio, compluribusque in locis se exercuit habendis orationibus sacris. Superato bene examine theologico filiam Schmidelii D. educandam accepit: quo in munere quum hiems ei Lipsiae, aestas in villa Zehmensi agenda sit, gaudet Klotzschii, pastoris Magdebornensis consuetudine una cum

aliis duobus candidatis, quem virum eximie laudat. Nuper Dresdae quoque examinatus duabus in doctrinis bene, in duabus sufficienter versatus esse iudicatus est.

FRANCISCUS ROBERTUS POLSTER.

Hic Frankenbergae in circulo montano natus est a. XV. Pater, coriarius, non praescribebat filio quid tractaret, sed curabat ut studia eius ad certum finem dirigeret. Itaque quum iam admodum puer magno musicae amore captus esset, illam artem edoctus est ab Hoepnero, qui nunc Dresdae multa peritiae suae documenta dedit: tractavit vero etiam alia quibus opus esset, in primis linguas Graecam et Latinam, ita ut tredecim annos natus recipi potuerit in scholam Afranam. Ibi sex annis erudito pater morte ereptus est. Tum apud nos theologiae operam dedit, tentatusque examine iter in Helvetiam cum fratre fecit, ex quo reversus Lipsiam ad studia rediit, vitae melius sustentandae caussa erudiendae iuventuti partem temporis impendens.

IOANNES SIEBELIS.

Budissae Lusatorum natus sum a. h. s. XVII. Pater Carolus Godofredus, rector gymnasii Budissini, mater Friderica Guilielma ex gente Meissneria. Ab his summo cum amore et cum maxima diligentia educatus, postquam initia litteras discendi feci in patriae urbis gymnasio, tredecim annorum puer adductus sum Grimam, ut in Illustre Moldanum reciperer. Quinque ibi annos transegi, praeceptoribus maxime usus Weicherto, Wundero, Fritschio, Lorenzio et Korbio, quem nuperrime nimis matura subitaque morte exstinctum valde doleo. A. XXXV. Lipsiam me contuli, ubi, ut ad munus scholasticum suscipiendum idoneum me redderem, maximam partem res philologicas tractavi, ita tamen, ut, quae viderentur necessariae litterae theologicae, eas non plane negligerem. Audivi igitur in his Winerum et Niednerum, de philosophia Hartensteinium et Drobischium, de historia ceterisque philologorum litteris Wachsmuthium, Westermannum, Klotzium, Hauptium, Hermannum. Praeterea ab Hermanno et Klotzio in seminarium philologicum, ab Hermanno in graecam societatem, ab Hauptio in societatem, quam tunc condidit latinam, receptus sum. Quorum virorum piam gratamque memoriam nullum tempus in animo meo obliterabit.

GEORGIUS BIPPART.

Natus sum a. XVI. die XVII. m. Augusti Bercae ad Verram, Thuringiae oppidulo, patre Valentino, matre Anna Elisabetha, e gente Meisteria. Litterarum elementis in ludo publico imbutum amplius instituerunt Friedericus Simmer, theol. tum candidatus, deinde Henricus Illigius. Quo praeceptore morte orba-

tus aetatis anno XIV. gymnasio Isenacensi traditus sum. Hinc a. XXXV. in Academiam Ienensem dimissus studio me dedi philologiae et philosophiae, scholisque Friesii, Ludeni, Eichstadii, Handii, maximeque Goettlingii usus, atque seminario philologico adscriptus sum. Praeterea scholas theologicas adii Baumgarten-Crusii, Hoffmanni, Stickelii. Triennio finito, quum in eo essem, ut Academiam Ienensem cum ea, quae Berolini floret commutarem, contigit mihi, ut commentatio mea „de Philoxeno, Timotheo, Teleste, dithyrambographis“ ab Amplissimo Ordine Philosophorum primario praemio ornaretur. Berolini deinde et scholis Boeckhii, Lachmanni, Gerhardi, Bekkeri, Boppii, Ritteri, Droysenii, et exercitationibus seminarii philologici interfui. Hinc, ut cursum academicum absolverem a. XXXIX. Lipsiam me contuli, ubi Hermannum et Hartenstenium audivi, atque ab Hermanno in societatem suam graecam comiter acceptus sum.